

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis**

**Melanchthon, Philipp  
Aristoteles**

**Argentinae, 1535**

**VD16 A 3417**

Abschnitt

**urn:nbn:de:bsz:31-106587**

**TERTIVS**

LIBER ETHICORVM.



**Q**uoniam in secundo libro definitionem  
 uirtutis tradiderit. Nunc quasdam  
 definitionis particulas explicat,  
 præcipue uero particulam de elec- Electionis  
 tione. Definit enim uirtutem esse habitum electio- definitio.  
 uum, hoc est, qui iudicio & sponte elegit, atq; impe-  
 rat aliquid fieri. Quum enim iudicium seu cognitio  
 & uoluntas sint præcipue ac propriae hominis ui-  
 res, necesse est eas ad actionem uirtutis concurrere.  
 Vocat igitur electionem, quæ aliquid iudicio uel con-  
 sulto, & sponte elegimus & suscipimus. Et quæ e-  
 lectio partim à uoluntate profiscatur (est enim uo- Voluntas  
 luntas domina electionis) sponte eam fieri necesse domina cle-  
 est. Voluntas enim libera potentia est. Quare in re ctionis.  
 electe & secus factis oportet legum latores, magistra-  
 tus & philosophos de uoluntario & inuoluntario  
 quærerere. Hic igitur repudiandæ sunt opiniones, quæ  
 libertatem arbitrij in delectu rerum ciuiliu tollunt  
 Est autem electionis genus, uoluntarium. Ita metho-  
 dus deducit Aristotelem ad disputationem de uolun-  
 tario & inuoluntario. Orditur autem à negatiuis

**Tria genera actionum.**

**Involuntaria duplicia.**

descriptionibus, deinde ostendit quæ partes requiratur ad uoluntarium & electionem. Ac initio proponit tria esse genera actionum. Inuoluntarium. Mixtum, et uoluntarium. Inuoluntarium est duplex, aut quod fit per ignorantiam, ut si quis inscius ruat in puteum aut quod uolenter fit, ut cum tempestate in nauem abripimur. Quæ enim actiones humanæ requirant has duas partes, cognitionem & imperium uoluntatis. Sequitur inuoluntaria duplicia esse. Quæ uide licet aut cognitio aberrat, aut imperium uoluntatis foris impeditur uel. Nam & quum aberrat cognitio, uoluntas impeditur. Aliud enim obijcit error quam expetit uoluntas. Ut si quis uult pergere existimans uiam tutam esse, quum incidit in insidias, aliud atque expetit accidit. Voluntaria sunt in quibus & cognitio non fallit, & uoluntas imperat actionem nec impeditur. Mixta sunt quæ metu coacti facimus, ut si quis à prædone coactus redimat uitam pecunia, aut coactus à Tyranno abijciat religionem. Hæc Aristoteles pronunciat esse uoluntaria, idque docent & Iureconsulti quum inquit, uoluntatem coactam esse uoluntatem. Aristoteles addit rationem. Actiones, inquit uoluntarie sunt, in quibus est deliberatio quedam. Porro qui metu coacti aliquid agunt, certe deliberant & mouent ipsi sua membra, ut exequantur imperata animi.

Postre

Postremo in h  
sibiam dicit, au  
facitur illo mo  
pessate. Alias di  
nar, tamen eti  
hec aliquo mo

QV

Vrisconsul  
bet excusatio  
em quam uol  
lucris, & in  
rit, ut quum  
tare cum spo  
uero iuris n  
eadem docer  
enim quasi  
torum.

Ignorantia  
capacitate. Vb  
tia. Vt si quis  
ditum in ea q  
delictorum q  
Secunda  
tia, aut unuer  
maxime oport

IN ETHICA ARIST.

Postremo in hoc primo capite admonet uolentia  
 bifariam dici, aut quum simpliciter cogitur, nec af-  
 sentiur ullo modo uoluntas, quum abripitur tem-  
 pestate. Aliàs dicuntur uolentia, quum etsi metu cogi-  
 mur, tamen etiam ipsi deliberamus atq; elegimus,  
 hæc aliquo modo uoluntaria dicenda sunt.

Q V A N D O E X C V S E T

ignorantia.

Iurisconsulti sic discernunt, ignorantia facti hæ-  
 bet excusationem, quum scilicet aliud agit quispi-  
 am quàm uolebat, quum quidem & recte agere uo-  
 luerit, & iustam diligentiam ad eam rem contule-  
 rit, ut quum iacob cum Lia cubaret existimās se cu-  
 bare cum sponsa, habet excusationem. Ignorantia  
 uero iuris non excusat. Aristoteles propemodum  
 eadem docet, sed paulo aliter loquitur. Ostendit  
 enim quasi fontes & causas præcepti Iurisconsul-  
 torum.

Ignorantia triplex est, Quædam est cõiuncta cū Ignoran-  
 cupiditate. Vbi cupiditas delicti causa est nõ ignoran-  
 tia triplex. tia. Ut si quis delinquit ebrius, aut delinquit per libi-  
 dinem in ea quam non debuit attingere. Hoc genus  
 delictorum est uoluntarium, ideoq; puniendum est.

Secunda species ignorantie est. Affectata ignorã-  
 tia, aut uniuersalis ignorantia: quum aliquis ea quæ  
 maxime oportuit scire negligit. Ibi ignorantia non  
 solum

COM MENTARIA

**Delictum uoluntarium.** Solum non excusat, sed etiam suam poenam meretur. Nam hic proprie uoluntas est, delicti causa non ignorantia. Voluntas enim accersit ignorantiam. Quare delictum est uoluntarium.

Tertia species est, quando adhibita iusta diligentia tamen erratur sine cupiditate in aliqua circumstantia, quae mediocri diligentia adhibita non potest

**Delictum inuoluntarium.** deprehendi, haec habet excusationem. Nam in hoc genere nec uoluntas nec cupiditas, sed ipsa ignorantia delicti causa est. Quare delictum est inuoluntarium. Aliud enim uolebat agere. Hoc modo tres ignorantiae species discernit Aristoteles ex quibus affectata ignorantia seu uniuersalis ignorantia, est ignorantia iuris. Porro ignorantia in circumstantia plerumque cadit in factum.

In fine huius disputationis postquam supra de inuoluntario copiose dixit, breuiter colligit ex contrario. Quid sit uoluntarium. Sicut enim inuoluntarium est: qui ui rapimur, aut ignorantes agimus praesertim praecipuas circumstantias. Ita uoluntarium est, cuius principium in nobis est, quodque agimus scientes singulas circumstantias praesertim praecipuas. Addit et hanc particulam, quae clarissime diiudicat inuoluntaria, et uoluntaria. Voluntaria sunt, qui facientes delectamur. inde ratiocinatur, quod facta per iram aut cupiditatem non sint inuoluntaria, quia facientes

IN ET

facientes delectamur. Ex quibus  
tunc inuoluntarium  
capitalem, et  
ne ipsos etiam  
quia in agendo  
C A P

D E iudicio  
si quis  
cies uoluntaria  
etiam notitia  
uoluntatem,  
et iudicio p  
quo subito n  
sulto, et re  
Aristoteles  
nas sententia  
ultima enunc  
nes humanas  
ra facit quod  
luntate anti  
dam, alij au  
centur agere  
iudicio. Qu  
etiam quum

IN ETHICA ARIST.

ficientes delectantur, & repetit quaedam ex superioribus. Ex quibus ostendit, quæ absurda sequantur, si dicamus inuoluntaria esse ea, quæ fiunt per iram aut cupiditatem, & concludit quæ actiones sint uoluntaria ipsos etiam affectus uoluntarios iudicandos esse, quia in agendo regi possunt.

CAPVT TERTIVM

De ἀπορίαις

**D**Einde ingreditur nouum locum de proheresi si quam uerterunt electionem. Est autem species uoluntarij, quia Proheresis duo continet. Re-  
 Etiam notitiam, id est, deliberationem: & Liberam  
 uoluntatem, quæ aut obtemperat aut refragatur re-  
 Et iudicio post deliberationem. Ut Vlysses non ali-  
 quo subito motu animi interfecit Palamedem, sed cō-  
 sultio, & re deliberata. Id scilicet est ἀπορία. Aristoteles autem suo more, Primum tradit negati-  
 uas sententias. Quid non sit ἀπορία. Estq; bel-  
 lissima enumeratio ualde utilis ad discernendas actio-  
 nes humanas & actionum causas. Quatuor gene-  
 ra facit quasi causas actionum, alij natura, alij uo-  
 luntate tantum, & simulatione, alij per suasionem qua-  
 dam, alij autem certo iudicio, & libera uoluntate di-  
 cuntur agere. Ut Cato est natura constans, & non  
 iudicio. Quare semper retinet similem pertinaciam  
 etiam quum non opus est. Negat igitur Aristoteles,

f

COMMENTARIA

ἡγοία ἔστιν esse naturam. Nam ἡγοία ἔστι μο-  
 deratur constantiam, ita ut interdum cedat alijs, quā  
 id suadet ratio, aut tempus. Voluntatem uocat simu-  
 lationem, ubi nulla est causa adiuuans actionem, nisi  
 sola uoluntas. Sicut Thraso in Comœdijs est fortis,  
 hoc est, uult perhiberi fortis, & simulat fortitudinē.  
 Itaq; discernit Aristoteles & ab hoc gradu ἡγοία  
 ἔστιν, quia hæc simulatio non sequitur rectum iudi-  
 cium. Opinio seu persuasio excusabilius malum est.  
 Quum aliquis persuasione aliqua permonetur ad  
 agendum. Sicut Brutus corruptus philosophicis ima-  
 gibus serio putat se iuste facturū esse, si Cæsarem  
 interficiat. Sicut Anabaptistæ corrupti falso doctri-  
 næ genere, serio putant se debere facultates, coniu-  
 ges, liberos deserere. Discernit Aristoteles ἡγοία  
 ἔστιν & ab hoc gradu. Quia probæsis non est  
 falsa persuasio, sed rectū iudiciū, & deliberatio, &  
 liberæ uoluntatis decretū. Complectitur enim duo,  
 rectum iudiciū, & liberæ uoluntatis decretū, seu  
 consentiens, seu dissentiens à recto iudicio. Hi gra-  
 dus facile intelligentur, si transferantur ad quotidia-  
 na exempla. Nam in omnibus actionibus, & nego-  
 cijs, & artibus, reperiri tales gradus personarum  
 possunt. Alij sunt natura fortes, ut Cato. Alij simu-  
 latione, ut Thraso. Alij persuasione seu imitatione,  
 ut Brutus imitans Stoicos. Alij iudicio, ut Cæsar.

Prohære-  
 sis duo cō-  
 plectitur.

Caput

IN ET

Capite que  
 Delibera  
 quat delibe  
 rum & quor  
 quæstionem  
 ce, earum r  
 fa est ratio  
 seruandum  
 farū iudeli  
 Necessitas  
 u, solimmu  
 cant faiales  
 fa, ut mate  
 motu, ad ef  
 contingent  
 ficat defici  
 ca illa, de q  
 Quom  
 necessitate  
 te, sed liber  
 esse quand  
 experient  
 enim uel pr  
 tionibus ex  
 perantia, g

IN ETHICA ARIST.

CAPVT III.

Capite quarto quarit de obiecto seu materia  
 Deliberationis. Quum enim ποικίλης re  
 quirat deliberationem, quærendum est, quarum re=  
 rum, & quorum negotiorū sit deliberatio. Ad hanc  
 questionem respondet ex natura causarum, uideli=  
 cet, earum rerum deliberationem esse, quarum cau=  
 sa est ratio. Itaq; hoc uel præcipue in hoc textu ob=  
 seruandum, quod hic apte recensentur genera cau=  
 sarū, uidelicet, necessitas, natura, ratio, & fortuna.

Necessitas significat efficientia que necessario agūt,  
 ut, solimmutabiliter conficit suos cursus. Aliās uo=  
 cant fatales causas. Natura significat physicas cau=  
 sas, ut materiam. Item efficientia, contingentia, ut in  
 motu calefieri. Ratio est causa que uersatur circa  
 contingentia que efficere ipsa potest. Fortuna signi=  
 ficat defectum deliberationis, & tamē uersatur cir=  
 ca illa, de quibus deliberare solent homines.

Genera  
 causarū.

Quum autem ratio sit distinctum genus causæ à  
 necessitate & natura, quum uidelicet sine necessita=  
 te, sed libere, eligat aut repudiat aliquid, sequitur  
 esse quandam libertatem uoluntatis humane. Idq;  
 experientia testatur, cui non est repugnandum. Est  
 enim uel præcipua ratio in cōfirmandis demonstra=  
 tionibus experientia, sicut non repugnatum huic ex=  
 perientie, quod ignis urat, quod aqua frigeat, &c.



COMMENTARIA

Concludit itaq; , deliberationem uersari circa con-  
tingentia, & quæ ad nos pertinent, & à ratione effi-  
ci possunt.

QVINTVS LOCVS DE

Obiecto uoluntatis.

**H**ilibrī Ethici multiplicem habent utilitatem.  
Quum enim causæ uirtutum quærentur obi-  
ter de natura hominis, & quomodo moueantur par-  
tes animæ ad agendum, multa disputari solent. Quo-  
rum cognitio prodest etiam ad intelligenda pleraq;  
in alijs disputationibus aliarū doctrinarū. Ac præ-  
cipue huius loci utilitas latissime patet. Vbi discer-  
nuntur potentiæ, & quærentur obiecta potentia-  
rum. Habet enim quælibet potentia suum obiectum,  
à quo uidelicet mouetur ac cietur ad agendum: ut  
obiectum uisus est color & lux: obiectum auditus,  
sonus. Ita obiectum intellectus est ens sub conditio-  
ne ueri. Obiectū uoluntatis est ens quod ostenditur,  
aut tanquam bonum, aut tanquam malum. Nam uo-  
luntas serio proprie appetit ea quæ sunt ostensa tan-  
quam bona. Fugit illa quæ sunt ostensa tanquam ma-  
la. Hoc præceptum & si puerile est, tamen in scho-  
lis non sine magna causa traditur. Prodest enim ad  
intelligendas uarias actiones uoluntatis. Hic orun-  
tur magnæ et graues quæstiōes apud Philosophos,  
si proprium obiectum uoluntatis est bonum. Quur  
homines